

XI

CONFIRMATIO SOCIETATIS INTER COMUNE SENARUM ET COMUNE GROSSETI

1262 giugno 15, Grosseto

Il sindaco del comune di Grosseto conferma il patto stipulato tra il detto comune e quello di Siena il 27 gennaio 1251.

Originale, ASS, *Diplomatico Riformagioni*, 1262 giugno 15 [c.158].

Regesti: ASS, Ms B 2 c. 510; ASS, Ms B 21, c. 224v.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti amen. Anno eiusdem millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, indictione quincta, die septimo decimo kalendas iulii. Cunctis hanc paginam inspecturis appareat evidenter quod Bondellinus quondam Bondelli civis grossetanus sindicus, procurator et actor civitatis et universitatis communis et hominum de Grosseto ad infrascripta spetialiter constitutus prout instrumento publico manu Gualterii notarii continetur, vice et nomine dicti communis et hominum de Grosseto ratificavit, approbavit et confirmavit Cristoforo quondam Bernardini qui dicitur Cristoforus Mancini et Manerio quondam Savorecti sindicis et actoribus communis Senarum ab ipso comuni Senarum ad infrascripta spetialiter constitutis ab ipso comuni Senarum iuramentum, sotietatem et compagniam initam et factam olim inter comune Senarum et comune Grosseti tempore potestarie domini Guerruçii civis Senarum in dicta terra de Grosseto de quibus apparent publica instrumenta per singula capitula. Et solempni et legiptima stipulatione interposita, promisit et convenit sindicis et actoribus antedictis communis Senarum recipientibus et stipulantibus pro ipso comuni Senarum dictam sotietatem et iuramentum et compagniam ratam et firmam habere et tenere perpetuo et quod ita habebit et tenebit comune Grosseti predictum. Et pacta, promissiones et obligationes quod in ipsa sotietate continentur attendet et observabit prout instrumento dicte sotietatis per singula continetur et contra ea vel aliquod eorum nullo tempore veniet vel faciet predictum comune de Grosseto, sub pena mille marcharum argenti, quam dictis sindicis et actoribus communis Senarum recipientibus pro dicto comuni Senarum dare et solvere promisit idem sindicus et actor communis Grosseti si commissa fuerunt, et ea soluta vel non predicta firma tenere. Et nomine ac vice dicti communis Grosseti idem Bondellinus sindicus et actor remisit et refutavit supradictis sindicis et actoribus communis Senarum pro dicto comuni Senarum stipulantibus omnia iura et actiones et petitiones et pignorum obligationes que et quas comune dictum de Grosseto habet vel habere videtur et sibi competit vel competere potest quoquo modo vel iure adversus dictum comune Senarum et in bonis et rebus que sunt et fuerunt ipsius communis Senarum et hominum et personarum ipsius communis occasione cuiuscumque pene in quam incidisset hactenus dictum comune Senarum vel homines ipsius communis eo quod dictum iuramentum, sotietatem et compagniam olim per singula non servassent. Et nomine dicti communis Grosseti promisit et convenit sindicis et actoribus antedictis nullam litem vel brigam seu questionem aliquam inde vel ideo vel ea occasione facere vel movere et contra ea vel aliquod predictorum nullam exceptionem de iure vel de facto obicere vel opponere sub dictam penam mille marcharum argenti. Quam eis recipient. ut dictum est nomine et vice dicti communis dare et solvere promisit si commissa fuerint et ea soluta vel non predicta firma tenere. Et tacto libro corporaliter iuravit dictam sotietatem et compagniam et iuramentum et omnia et singula que continentur in ea et omnia et singula suprascripta attendere et observare et facere et quod attendet et observabit et faciet comune Grosseti predictum sine alicuius temporis presuntione. In quibus omnibus et pro eis se et dictum comune et homines de Grosseto et ipsius communis et hominum heredes et bona dictis sindicis et actoribus communis ut dictum est recipientibus pro ipso comuni Senarum obligavit. Et hec ideo facet quia dictum comune Senarum prefatam sotietatem et pacta et conventiones que continentur in ea dicto Bondellino sindico, procuratori et actori communis et civitatis hominum de Grosseto pro eis recipientibus per dictos sindicos et actores dicti communis

Senarum confirmavit, approbavit et ratificavit et simili modo eidem Bondellino per singula fecit et promisit ut dictum est recipienti pro dicto comuni et hominibus de Grosseto. Et in hiis renumpitiavit condictioni indebiti et sine causa, fori privilegio et omni iuris et legum auxilio; cui Bondellino sindico et actori volenti et predicta confitenti precepi ego notarius infrascriptus nomine iuramenti et guarentisie secundum formam capituli constituti Senarum quatenus hunc contractum dictis sindicis et actoribus et comuni Senarum observet per singula ut superius continetur. Actum Grosseti in maiori ecclesia, coram domino Abate quondam domini Manti, Gualcherino calçolario, Todino quondam Bonaccursi, Iohanne Cinghiarelli, Iacoppino Valdigraine, domino Bernardino domini Iohannis Pape et Ugolino Belmontis testibus presentibus et rogatis. (SN) Ego Benentende notarius filius quondam magistri Ildibrandini predictis omnibus interfui et ea rogatus scripsi et publicavi.